Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Christoph. Matthaei Pfaffii ... Institutiones Historiae Ecclesiasticae

Juxta Ordinem Seculorum Brevissimo Penicillo Delineatae ...

Cod. Karlsruhe 416

Pfaff, Christoph Matthaeus

Tubingae, 1727

Cap. V. De conciliis seculi IV

urn:nbn:de:bsz:31-375655

Visual Library

tholicos & Donatiſtas, Carthagine habita, quam poſtremùm in ſua Optati editione recuſam dedit Dupinius. Varia denique contra Donatiſtas Concilia habita maximè Carthaginenſia, variæque leges adverſus ipſos ab Imperatoribus maximè Honorio & Theodoſio Juniore datæ. Sed hæc ferè ad ſequens ſeculum pertinent.

CAP. V.

DE CONCILIIS SECULI IV.

§. I.

NOminanda hîc primùm veniunt duo Concilia Oecumenica, hoc ſeculo habita, alterum Nicænum contra Arianos, ſub Conſtantino M. A. 325. alterum Conſtantinopolitanum ſub Theodoſio M. contra Macedonianos A. 381. habitum. Hiſtoriam paucis damus. Synodum Nicænam (a) convocavit Conſtantinus M. Imperator ad debellandam Arii hæreſin. Adfuere, uti certior numerus fert, 318. Epiſcopi, ex toto orbe Chriſtiano collecti. Damnata ibidem Arii hæreſis, libris ipſius combuſtis, & hæretico in exilium miſſo. Conditur Symbolum fidei, in quo Filius Patri dicitur eſſe ὁμοούσιος, tollitur ſchiſma Meletianum, ſervata ipſi Meletio Epiſcopatus dignitate, omni vero poteſta-

te

(a) Hiſtoriam Concilii Nicæni dedit Th. Ittigius Lipſ. 1712. 4. De eâdem & illius Scriptoribus confer Fabricium in B. G. Vol. XI. p. 353. ſqq.

te & jurisdictione abrogatâ, ſublata vetus de die paſchatis controverſia, decretumque, illud nonniſi die Dominico, Judæorum paſcha proximè ſequente, eſſe celebrandum. Denique conſtituti ſunt Canones XX. ad regimen & Oeconomiam Eccleſiaſticam ſpectantes, inter quos eminet maxime Canon VI. qui Romanum Patriarcham cæteris quoad Jurisdictionem æqualem facit. Notanda quoque hîc eſt Paphnutii (*b*), Epiſcopi Ægyptii & Confeſſoris increpatio & condemnatio illius legis, quam Epiſcopi nonnulli in hoc Concilio inducere conabantur, ut Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi ab uxorum, quas, cum laici adhuc eſſent, matrimonii jure ſibi ſociaverant, cohabitatione abſtinerent. Præſes Concilii Nicæni politicus fuit Conſtantinus M. Eccleſiaſticus Hoſius Cordubenſis, ſecundum alios Euſtathius Antiochenus, fruſtra legationem Romanæ ſedis Hoſio commiſſam fingentibus Baronio, Valeſio aliisque Pontificiis. De Concilio œcumenico Conſtantinopolitano

(*b*) Hanc de Paphnutio narrationem in dubium vocat Mabillonius de ſtudiis Mon. p. 512. negat planè Muratorius in diſſ. de agapetis & ſyniſactis, in anecdotis Græcis p. 132. 283. In dubium itidem revocant vel ad eos ſaltem reſtringunt, qui ad ſacerdotium coacti in cœlibatu vivere haud poterant, Baronius & Bellarminus. Agnoſcit veritatem narrationis Arcudius de Conc. Eccl. or. & occ. L. 7. C. 38. f. 581. & habetur ea ſanè apud Socratem & Sozomenum.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

tam legationem in causa Arii. Hosius v. non tam Legatus Rom. Pontificis quandoque Thes erat Ecclesiae, quod sine ullo testimonio fingunt Pontificii. eleganter recenset Fleury dans son Histoire Ecclesiastique.

7) Acta praecipua, Allocutio Imp. v. Ittig. l. c. §. 35. sq. Arius auditus, Ittig §. 40. Formula fidei ab Arianis oblate, id. §. 42. Philosophi disputantes, teste Gelasio l. c. ap. Pisanum p. 95. cf. Balth. Bebelii Diss. de mysterio SS. Trinitatis depempta ex collatione v. Episcopos & Philosophos in Concilio Niceno facta, quam describit Gelasius in actis Nicaen. P. II. c. 13 sqq. Argentor. 1683. 4. Simplex homo resistens Spiridion Philosophum, teste eod. l. c. p. 96. et p. 138. sq. (cf. Jo. Guil. Bajeri, Sen. Progr. de confutatione & conversione Philosophi gentilis per Confessorem Pium & simplicem absque opera disputandi ad Sozom. H. E. l. 18.) Damnatio e Symbolo intelligenda, v. Athanas. in Epistola ad Jovinian. de fide Nicaena p. 399. edit. Comelin. Voces introductae ὁμοούσιος, natus l. genitus, non factus, verus Deus; plura v. in Ittig. l. c. p. 49. e. c. Paschali quaestio, compositio Schismatis Novatiani, Censura in Meletium, reliqua ad Canones, ad quos autores recenset Ittig l. c. §. 64. sq.

8) Duratio dubia est, nonnisi aliquot menses hanc Synodus durasse videtur.

9) Confirmatio, ab Imp^e Sigillo facta; v. Socrates l. 9.

10.) Exitus primum fuit laetus, Synodo ipse a plerisque agnita praeter Euseb. Nicomed., Ario in exilium pulso & pace restituta, deinde v. luctuosus fraude Arii & Arianorum, Constantini credulitate, Athanasii exilio, Constantiae sororis Augusti seductione, Constantio successore filio Arianos & fallacibus Arianorum formulis.

* Denique notandum, Lutherum varios in hoc Concilio statuisse errores, teste Sal. Gesnero in de Conciliis P. II. p. 569. sq. 1) castratum haud amplius clericum esse posse (& sine contradictionem Can. I. & III. statuit, at I. Can. contra Origenem, qui se ipsum castravit, directus est.) cum conversatione cum foeminis clericos abstinere debere; 2) Paulianistas rebaptizandos esse (secundum cap. XIX.); 3) illum, qui post professum Christianismum miles fuerit factus, ~~perpetuo in Ecclesia esse ejiciendum~~ post XIII. annorum poenitentiam demum in Ecclesiam iterum esse recipiendum, juxta Can. XIII.

a) Concilium CPlitan. ratione Oecumenici II. ratione loci v. IV. sub quo posteriori significatu m. occurrit ap. Sagittar. l. c. In eo notandum.

1) Fontes: Canones, sed ubi ferme incertum, annon ex CPlitanis particularibus fuerint post tres primos alii annexi. Epistola Synodica, Socrates, Sozomenes, Theodoretus.

2) Subsidia: Christiani Lupi s. Wolfii Diss. de variis circa hoc Concilium dubiis & explicatione ~~Concil.~~ Symboli CPlitani; Natalis Alexander, Fleury, ll. cc.

3) Tempus: a. C. 381. videntur duo Concilia quandoque facta ex uno hoc Concilio l. duobus conventibus.

4) Autor: Theodosius M. Imp. testibus supra cit. fontibus; est non Damasus, Ep. Rom. nec praevia ejus autoritate.

5) Membra: Episcopi 150. & Macedoniani, quos revnire speserat, ultra 30. hinc nonnulli 180. Episcopos numerant. Plerique orientales, pauci Occidentales, quorum duo n. tm. in subscriptione occurrunt; Episcopus Rom. neque ipse neque per Legatos aderat.

6) Causa

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

6) Caa impulsiva: Impr habuit in Occidentalib. Collegam Valentinianum Jun., dein turbas orientales sopire volebat; adde his Schisma Antiochenum Macedonianismum in Hellesponto, lites de Episcopatu CPltano. Caeterum Oecumenicu est factu hoc concilium pp approbatoem secutam.

7) Acta: Maximus, Ep. CPani depositus, Gregor. Nazianzen. electus & confirmatus, qui v. sponte hoc munere se abdicavit, tum Nectarius suffectus. Caas cur Gregor. Naz. inprimis Aegyptii recusaverint v. in Fleury l.c. Praetextus erat, qd jam aliam obtinet Episcopatum, qui tn. canon haut amplius in usu erat. Caa vera, eloquea ipsius, imo orthodoxia & felix displicuerant. Porro ad acta h. Synodi ptinent a) Confirmao Symboli Niceni variorumque addid adjectiones†; b) limites Dioecesium positi & locus honoris proximus à Romano assignatus CPltano Canone III. ob raoem adjectam, qd CPlis nova eet Roma, quem tn. Canonem Baronius dispunctum vellet; 3) damnata haeresis Macedoniana; v. Symbol. CPltn. ad verba Spiritum S. adjecerunt: κύριον, vivificantem à Patre procedentem, cu Patre & filio adoratum, & conglorificatum, locutum p Prophetas.

† cf. Vossius in de trib. Symbolis.

a) De conciliis particularibus plura sunt dicenda posponte dici, quam de oecumenicis, eo qd Concilia Provincialia in variis prodierint Collectionibus; cf. h. d. 2. Francois Salmon Traité de l'Etude des Conciles & des leurs ~~Collections~~ Collections, Paris. 1726. 8. recus. Lipsiae 8. qua editio Parisina melior est. cf. qq. de his concil. partic. Cave & Schmid l.c.

b) De Eliberitano v. ~~Schmid~~ Cave l.c. p. 305. Baronius ejus autoritatem negat.

c) De Cirtensi v. ~~Schmid~~ Cave p. 305. hoc Donatistis non fuit probatum, ob raoem in autore allegatam.

litano hæc notamus. Cauſa hujus Concilii fuit non ſaltem damnatio hæreſeos Macedonianæ, ſed & Gregorii Nazianzeni cauſa, deſignati à Theodoſio Epiſcopi Conſtantinopolitani, Ægyptiis verò Epiſcopis duce Timotheo Alexandrino Maximum quendam Cynicum ejus loco intrudentibus. Epiſcopi convenere 150. inter quos eminet Nectarius Conſtantinopolitanus, Timotheus Alexandrinus, Cyrillus Hieroſolymitanus & Meletius Antiochenus, ubi ὡς ἐν παρόδῳ memoramus, Gregorium Nazianzenum, cum vidiſſet turbas ab Ægyptiis motas, Epiſcopatu Conſtantinopolitano ſponte ſe abdicâſſe, eumq; Nectario ceſſiſſe. In hâc itaque Synodo 1. confirmata fuit Synodus Nicæna, adjectis à Gregorio Nyſſeno præter alia contra Marcellum Ancyranum verbis: cujus regni non erit finis. 2. Aſſignati limites ſingulis diœceſibus, Alexandrinæ, Antiochenæ, Aſianæ, Thraciæ, Ponticæ, & confirmata ſingulis privilegia, datusque proximus à Romano honoris locus Epiſcopo Conſtantinopolitano. 3. Damnata hæreſis Macedoniana contra divinitatem Spiritus S. inſurgens.

§. II.

Inter Concilia particularia numeramus Eliberitanum, in Hiſpania anno 305. habitum, ubi inter alia & imagines & picturæ in templis damnantur. Cirtenſe anno eodem in Africa habitum, ubi traditoribus data venia. Varia Cartha-

thaginenſia, tùm ab orthodoxis, tum à Donatiſtis habita. Alexandrinum I. anno 308. ubi Meletius Epiſcopus Nicopolitanus fuit depoſitus. Romanum I. contra Donatiſtas. Arelatenſe I. contra eosdem. Alexandrina II. & III. contra Arium. Cæſareenſe à partis Euſebianæ Epiſcopis contra Athanaſium habitum Tyri anno 335. continuandum, ubi Athanaſius variis calumniis impetitus, innocentiam quidem ſuam clariſſimè oſtendit, ſed nihilominus depoſitus, in Concilio Conſtantinopolitano ſequenti anno habito, Trevirim relegandus, in quo & Marcellus Ancyranus fuit depoſitus, hoc ipſi erro rore imputato, quod Chriſti aliam perſonam, aliam Patris eſſe negaret. In Concilio Alexandrino IV. anno 339. Athanaſius abſolvitur, qui in Concilio Antiocheno II. (c) anno 341. ubi variæ fidei formulæ, omiſſa ſemper ὁμουσίου voce, conditæ fuerunt, rurſus depoſitus fuit, ſurrogato in locum ipſius Gregorio. Circiter A. 340. habita fuit Synodus Gangrenſis (d) occaſione Euſtathii & conditi hîc fuere Canones Eccleſiaſtici. Concilium Romanum anno 342. pro Athanaſio ſtetit, qui Romam ad Julium Pontificem ſe contulerat. Concilium Antiochenum

(c) Mirum, hoc Concilium defenſum eſſe à Schelſtratio. Hic enim Antverp. 1681. edidit Antiochenum Concilium autoritati ſuæ reſtitutum.

(d) De hâc Synodo ſcripſere Gundlingius & Schelguigius.

a) Hoc Concilium vocem ὁμοούσιος pacis sectandae caa omisit; E. non bes haeretici vel heterodoxi, qui hac voce n. utuntur l. eam n. magnifaciunt, id quod M. Lutherus noster fecit, Arianismi hinc a Pontificiis injuste accusatus, v. Zorn. Tr. de Luthero n. Ariano.

b) Concilium Gangrense, canone IV. matrimonia presbyterorum probavit aliasq. Monachatum [illegible]. Lutherus noster cum a. 1530. acta hj. Concilii edi curavit. Gundlingius, Pastor Norib., conscripsit annotationes in Concil. Gangrens. Canones XX., quas post ejus mortem fil. ejus Nicol. Hieron. Prof. Jo. Fabricio publice vent cavit, Altdorffii 1695. 8°.

num III. anno 345. novam fidei formulam, omiſſo tamen ὁμοȣσίῳ, condidit, cætera orthodoxam. In Concilio Mediolanenſi I anno 349. fides Nicæna fuit confirmata & damnatus Photinus, quod ultimum & in Concilio Romano III. & Sirmienſibus I. & II. factum. In Synodo Sardicenſi (*e*) anno 347. abſoluti fuere Marcellus Ancyranus & Athanaſius, at in Synodo Philippopolitana damnati. In Concilio Mediolanenſi II. cum catholicos Epiſcopos cogere vellet Conſtantius ad damnandum Athanaſium, Euſebius Vercellenſis & Lucifer Calaritanus in exilium acti fuere, quod in Concilio Biterrenſi ob eandem cauſam accidit Hilario Pictavienſi. In Concilio Sirmienſi III. anno 352. novam confeſſionem fidei condidere Ariani, damnatis τȣ̃ ὁμοȣσίȣ & ὁμοιȣσίȣ vocabulis, ac ſubſcribente Hoſio Cordubenſi. In Sirmienſi IV. iterum alia fidei formula ab Arianis ſcripta, cui ſubſcripſit Liberius, Epiſcopus Romanus, poſt exactum exilii ſui triennium eapropter ſedi Romanæ reſtitutus. In Concilio Ancyrano II. Semiariani Aëtianos & Eudoxianos condemnarunt. Concilium Ariminenſe juſſu Conſtantii anno 359. convocatum, quo ex omni orbe Romano plusquam 400. Epiſcopi convolârunt, fidem Nicæ-

(*e*) Conſtat Zoſimum, Epiſc. Roman. Canones hujus Concilii, ſedi Romanæ utpote faventes in appellationum jure, quod ſibi vindicant Pontifices, tanquam Nicænos allegaſſe. Nec ſanè & Concilium hoc Nicæni appendix eſt.

nam ſtrenuè defendit. In Concilio Seleucienſi Acaciani à cæteris Arianis, qui fidem admittebant Nicænam, ſolo rejecto ὁμουσίῳ fuere damnati. In Concilio Conſtantinopolitano III. anno 360. Semiariani ἀνομοίους itidem damnarunt. Concilium Antiochenum VI. ab Anomœis fuit habitum. Alexandrinum V. ab Athanaſio congregatum cum Alexandrino VI. fidem Nicænam confirmavit. In Antiocheno VI. Acaciani Semiarianis acceſſere, qui in Concilio Lampſaceno ὁμοιούσιον confeſſi ſunt. In Concilio Romano IV. anno 367. Liberius poſt mortem damnatus fuit. In Concilio Illyriciano ex mandato Valentiniani Imperatoris eodem anno congregato fides Nicæna rurſus fuit confirmata: quod & factum in Concilio Sicilienſi, Tyanenſi, Romano V. à Damaſo convocato. In Concilio Laodiceno & diſciplina Eccleſiaſtica & canon Biblicus firmatur. In Concilio Romano VI. itidem ſub Damaſo habito Apollinarii & Arii hæreſes damnantur. In Concilio Antiocheno IX. Schiſma Antiochenum ſublatum, lis circa voces οὐσίας & ὑποστάσεως compoſita, damnataque Apollinarii hæreſis. Concilia Cæſarauguſtanum & Burdegalenſe Priſcillaniſtis maxime fuere oppoſita, uti Concilium Sidenſe in Pamphilia Meſſalianis. In Concilio Conſtantinopolitano V. anno 383. fides Nicæna & Conſtantinopolitana I. contra hæreticos confirmata fuit. Concilium Capuanum hæreſin Bono-

a) vid. Mastricht de Canone Biblico, canone V^to de hoc Concilio extant Canones Graeci Concilii Laodiceni cum versionibus Gentiani Herveti, Dionysii Exigui, Isid. Mercatoris & observationibus Wolfg. Gundlingii, Norib. 1684. 8°.

b) De Capuano v. Cave p. 78. b. quaedam de perpetua Mariae virginitate affert.

a) De Concilio Mediolanensi, v. Cave p. 78 b.

b) De Canone Biblico Concilii Carthag. Romanensibus multum arridente, v. ~~le~~ Mastricht l. c. Canone XII. p. 49.

c) Persecutio hujus seculi prima, numero vero Xa & ultima v. priores generales, unice ad hoc sec. pertinet.
+ L. VIII. integro & in Libro de martyribus Palaestinae.
Fontes sunt Euseb. H. E.+ Lactant.us de mortib. persecutor. Sulpicius Severus. Subsidia Ruinartus, citatus sub fin. §. 1. non v. tm in praefat. d. m. in Actis ipsis, cf. Kortholt l. c.
d) Autores fuere Diocletianus & Maximianus Collegae in Imperio, unus in Or. alter in Occid. Continuatores v. erant Tyranni: Galerius, Maximinus, Maxentius. Initium erat secundum Eusebium a. 305. ipso Terminali. un. die d. 23. Febr.
e) ~~Causae & occasio~~ Causae hujus persecutionis verae: miles signo crucis turbans superstitionem v. Lactant. l. c. p. 85. Diocletiani & Matris ipsius superstitio, id. p. 95. Responsum Oraculi Apollinis Milesii primum, id. p. 100 sq. Deinde edictum, id. p. 107. odium denique Sacerdotum gentilium. Occasio proxima: Incendium domus regiae Nicomed. de quo v. Euseb. VIII. 2. & Lactant. l. c. p. 110.
f) Modus hujus persecutionis fuit atrocissimus v. Lactant. de mortibus persecutor: c. 15. p. 115. 122. Multi in ea occurrunt traditores & Apostatae.
g) Marcellini lapsus notatus in Eusebio, apud Epiphan. dubia fide, d. alia ejus adsunt documenta, vid. Spanhem. p. 430.
α) Lactantius Gallias à persecutione eximit, Martyrologia v. gallica multos sua natione in hac persecutione sistunt martyres, quae E. cui fides habenda?

ſiacam damnavit. Mediolanenſe III. ab Ambroſio collectum, hæreſin Joviani. In Concilio Carthaginenſi anno 397. Canon Biblicus formatus, qualis jam in Hipponenſi factus fuerat, Tridentino haud abſimilis. In Concilio Alexandrino VII. anno 399. Origenes cum ſectatoribus fuit damnatus, quod & factum in Concilio Cyprio, Auctoribus Theophilo Alexandrino & Epiphanio. Plura Concilia à Donatiſtis & Arianis habita tacemus.

CAP. VI.
DE PERSECUTIONIBUS SECULI IV.

§. I.

PErtinet utique ad hoc ſeculum perſecutio X. cujus quidem præludia jam in ſeculo antecedente acta fuere. Hujus autores fuere Diocletianus, Maximianus Herculius, Galerius, Maximinus, Maxentius. Occaſio ficta in Chriſtianos calumnia, quod domum regiam Nicomedienſem præſente Imperatore incenderint. Perſecutio hæc fuit longè crudeliſſima, maximè quod & libri ſacri à perſecutoribus combuſti fuere, multis, qui tormenta effugere volebant, eos prodentibus, unde traditorum nomen. Sæviit autem illa per totum ferè orbem Romanum. In hac perſecutione lapſus eſt Marcellinus, Pontifex Romanus Jovis ſimulacro in templo Veſtæ